Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 321
Quelle:
Copyright:

expoſitorum colligitur hec complicatio ſummo magiſtro chriſto ihesu ſermonem dirigente et ad finem deſideratiſſimum perducente cui eſt honor &c. Quis vero *complicator* fuerit, ad *Cod.* ſeq. dicetur; quanquam enim ſupra *notam* praedictam minio adſcriptum ſit: *Iſta expoſitio dicitur Radberti Abbatis*, et infra eam: *expoſicio vitalis monachi*, non tamen aut ad *Rupertum Tuitienſem*, aut ad *Vitalem de Furno* O. M. pertinet, quoniam utriusque Commentarium Apocalypticum cum noſtro contulimus. Incipit autem ejus Prologus: *Vidit Jacob in ſompnis ſcalam ſtantem ſuper terram* &c. et ipſa expoſitio: *Liber iſte diuiditur principaliter in duas partes. Prima continet primum capitulum, tamen et ſubdiuiditur in tres partes* &c. Aevum certe Scholaſticum iſta produnt. Concluditur Opus: *ſi alicui minus bene dixi mihi iohannes benignus indulgeat delinquenti et veniam poſtulanti delictorum non malicie ſed ignorancie et aſcribat et corrigat quitquit corrigendum uiderit. Benedictus ſit ihesus chriſtus Amen.*

II. *fol.* 193. *Henrici de Haſſia* Epiſtola: *Reuerendo domino ac genere preclaro Domino Jo. de eberſtain Camerario Mogentio ſuus ubique clericus humillimus heinricus langenſtain dictus de haſſia* &c. Vide quae de ea ad *Cod.* CCXLI. diximus.

III. *fol.* 196. *Henrici de Oyta Tractatus de Contractibus.* Incipit: *Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram* &c. Finit: *ſed ſi ignorante domino datum ſit, et ratum habuit pignus ualebit.* Ut *Codd.* CCXLI. et aliis quos vide, ſi lubet, in *Indice.*

IV. *fol.* 220. *Sermones* XI. quorum 1. *de Aſcenſione Domini.* 2. *de Trinitate.* 3. et ſequentes ſeptem *de Spiritu ſancto*, ultimus rurſus *de Trinitate.* Omnes videntur ad Academicos *Viennenſes* dicti; etenim *Patres et Dominos reuerendos* frequenter adpellat Orator, cumque Sermo *ſecundus* hac ſubſcriptione gaudeat: *Explicit ſermo de trinitate factus et predicatus per venerabilem Magiſtrum Henricum de Haſſia doctorem ſacre Theologie*, non procul a vero abſuturum putem, qui et reliquos omnes eidem Autori tribuerit.

V. *fol.* 246. p. 2. absque titulo *Bonaventurae Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis*, quod incipit: *Flecto genua mea ad patrem domini mei* &c. et *Cod.* DCXXXVII. indicatum eſt. Verum hic jam in ipſo C. I. deficit. Integrum habes etiam *Cod.* XC.

CXXIII. VIII. D. 12.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 233. f. per duas columnas commode ſcriptus hunc praefert miniatum Titulum: *Dicta Militon. Super Apokalipſim.* Prolixus iis praefixus eſt Prologus, cujus initium: *Spiritu magno uidit ultima &c. Cum in ſacra doctrina reuelata beato Johanni in Apok. ſint conſideranda quinque* &c. In hoc Prologo judicium exerit Autor de iis, qui in *Apocalypſin* 273